



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.34. Novi Episcopatus in Germania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

sia S. Valentini ordinavit, atque Eccle- Sæcul. VIII.
A. C. 742.
siasticas Cæremonias tanto Pietatis fer-
vore peregit, ut multi Longobardorum
Regem comitantium, cum Pontificem
preces concipere audirent, ad lacrymas
moverentur. Finita Missa Papa Regem
invitavit ad prandium, quod tam opipa-
rum exhibuit, ut Rex fateretur, nun-
quam se lautius fuisse habitum. Die Lu-
næ Rex Pontifici valedicens, eidem Agi-
prandum Ducem Elusinum Nepotem
suum & ex Proceribus tres alias dedit,
qui eum ad urbes reddendas comita-
rentur, & quod pactum erat, perficerent.
Erant autem urbes Ameria, Horta, Po-
lymartium, & Blera, quibus receptis Pa-
pa Romam quasi triumphans reversus
collecto populo egit Deo Gratias, Sup-
plicatione solemni ex Ecclesia Dominæ
Nostræ ad Martyres, id est, *della Roton-*
da, usque ad Basilikam S. Petri indicta.

§. XXXIV.

Novi Episcopatus in Germania.

Sanctus Bonifacius tunc in Germania
agens, comperto, quod Gregorius
Papa vita functus esset, & electus Za- to. 6. Cons.
charias, data epistola suam subjectionem p. 1494.
professus est, & significavit, tres in Ger- ep. Bonif.
mania Episcopales Cathedras suisse ere- 132. vit. pet.
ctas, nempe Herbipoli in Franconia seu
Francia Orientali, Buraburgi in Hassia,
&

Sæcul. VIII. & Erfordiæ in Thuringia. Primus Epis.
A. C. 742. copus Herbipolensis fuit S. Burchardus

in Anglia natus, quem S. Bonifacius in Germaniam vocatum anno septingente-
simi quadragesimo primo Episcopum or-

Aet. SS. dinavit. Tenuit hanc Sedem annis no-
Ben. to. 3. vem, atque ejus memoria secundo Fe-
p. 699. bruario in Ecclesia honoratur. Primus

Episcopus Buraburgi fuit Vitta alio no-
mine Albuinus, id est, Albus. Urbs Bu-

Coint. an. raburgensis olim haud procul Fridelaria
742. sita hodie nulla est, & Erfordia nullum

habuit Episcopum nisi primum nomine
Adelarium. Itaque ex his tribus Eccle-
siis sola Herbipolensis ætatem tulit. S.
Bonifacius a Papa petebat, ut novos Epis-
copatus confirmaret, & sic in futura tem-
pora cuiuslibet Ecclesiæ limites defini-
rentur.

c. 2.

Tum S. Bonifacius in hac epistola
subjungit: *Id quoque scire te velim, Ca-*
rolomannum Francorum Ducem me ro-
gasse; ut Concilium congregem in illa Regni
parte, quæ sibi paret, promisitque mibi, se
operam daturum, ut Disciplina Ecclesiasti-
ca restituatur. Quippe, ut seniores affir-
mant, jam plures quam octoginta anni ef-
fluxerunt, ex quo Franci ultima celebra-
runt Concilia, & Archiepiscopos babue-
runt; jamque pleræque Sedes Episcopales
Laicis avaris, vel Clericis libidinosis, vel
publicis quæstoribus tanquam bona profa-
na

na traditæ sunt. Si hoc negotium Duce Sæcul. VIII.
 rogante mibi suscipiendum est, in primis A. C. 742.
 litteras tuas & Canones in manibus habeam
 oportet. Deinde Papam consulit de diver-
 sis Disciplinæ Articulis in quinque Quæsti-
 ones principales divisis, & tandem de qui-
 busdam munusculis, quæ Pontifici mit-
 tit, mentionem facit. Si octoginta anni
 præteriti numerentur, in quibus Præla-
 torum in Francia regnasset ignavia, ad
 annum sexcentesimum sexagesimum re-
 deundum foret, & tempora filiorum Clo-
 dovei II. qui inter Reges inertes primi
 habentur. Attamen ad universam Fran- Sup. I. XLI.
 ciam non extendenda esse rerum Eccle. §. 3. Coint.
 siasticarum gnari existimant, quæ S. Bo- an. 688. n. 7.
 nifacius de cessatione Conciliorum & Ca- Coint. an.
 thedrarum Metropoliticarum vacantia
 dicit. Quippe S. Ansbertus Rothomagi
 anno 688. Concilium celebravit, & di-
 stincte novimus, quinam viri, S. Bonifa-
 cii hæc scribentis ætate, Sedes Rothoma-
 gensem, Turonensem, Senonensem, Lug-
 dunensem & quasdam alias Metropoliti-
 cas tenuerint. Sed potius credunt, has
 querelas accipi debere de solis duabus
 Provinciis Germanicis ultra Rhenum po-
 sitis, quæ Archiepiscopum non habuerant
 a temporibus Dagoberti, & S. Amandi id. an. 623.
 Præfulis, secundi Episcopi Wormatiens- n. 5. 627.
 sis, qui ambarum Provinciarum Metro- n. 10.
 polita erat.

§. XXXV.